



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Quemadmodum Missa legenda. 13

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

**I Cor. II.** & perditio non dormitat. Probet (inquit Paulus) se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Atque ideo (ut subdit) inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Nam, si nos ipsos dijudicarem, non utique iudicaremur.

**C A P. X.** *Arguuntur, qui polluta mente ad Altare Domini accedunt.*

**Math. 7.** **T**erret, nec immerito, nos sermo Dominicus, qui vetat nos sanctum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos; quum quosdam leviculos Sacerdotes, illotis manibus pedibusque (ut in proverbio est,) audacius in hæc sacratissima mysteria, quam in prophana, irrumperere comperimus. Quales sunt, qui humano affectu tantum, & potius ex more quam devotionis ardore, ad Altare accedunt; quorum polluta est & mens & conscientia; quos merito horrendum Euangelii exemplum (quod Joannis 13 legimus in hæc verba: Et postquam accepisset buccellam, introivit in eum satanas; & cætera quæ sequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti mysterii contemplationem, revocaret.

**C A P. XI.** *Revidenda Missalia ac Breviaria.*

**P**eculiariorum Missarum argumenta, recens præter veterum institutionem inventa, etiam Patribus displicuerunt; quod tantum mysterium pro affectu cujuslibet tractari non debeat. Profas indoctas, nuperius Missalibus cæco quodam iudicio inventas, prætermittere per Nos liceret. Videbimur ergo operæ precium facturi, si Missalia perinde atque Breviaria pervideri curemus, ut, amputatis tantum superfluis & quæ superstitiosius inventa videri possint, ea tantum, quæ dignitati Ecclesiæ & priscis institutis consentanea fuerint, relinquantur.

**C A P. XII.** *Quæ omitti aut decurtari vel Organorum vel Cantorum concentu haud debeant.*

**I**am & illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut, ob Cantorum & Organorum concentum, omittantur aut decurtentur ea quæ sunt præcipua. Cujus generis sunt, recitatio verborum Prophetiarum aut Apostolicorum quam Epistolam vocamus, Symbolum fidei, Præfatio quæ & gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem hæc tota distinctissime ac intelligibiliter, uti cætera omnia (si tamen non levis decurtandi causa subfit) decantentur. Sit quoque cantus, quo Presbytero respondetur, æqualis, nec præcipitatus.

**C A P. XIII.** *Quemadmodum Missa legendæ.*

**Q**ui legit Missam, cum reverenda modestia, clare, distincte, & exerte, legat omnia usque ad Canonem; ut, qui audiendi sacri causa adstat, quod legitur, intelligat, atque ad pietatem excitetur.

**C A P. XIV.** *Quid post elevationem Eucharistiæ agendum.*

**P**ost Elevationem consecrati Corporis ac Sanguinis Dominici, in nonnullis templis canunt Antiphonas pro pace, aut contra pestilentiam & mortalitatem; cum potius tum videretur silendum, & ab omni populo mortis Dominicæ commemoratio habenda, prostratisque humi corporibus, animis in cælum erectis, gratiæ agendæ Christo Redemptori, qui nos Sanguine suo lavit, morteque redemit. Cantiones vero illæ contra mortalitatem seu eladem, aut pro pace, satius post finitam Missam canuntur. Quæ ut ad Deum dirigantur, excerptæ ex Canonica Scriptura plus placuerint; quales sunt Antiphonæ, Media vita; ac, Da pacem Domine; & similes: sic tamen, ut illis etiam, quæ gloriosæ Virgini Matri dicatæ sunt, suus honos ac locus servetur.

**C A P. XV.** *Organorum melodia, quemadmodum temperanda.*

**O**rganorum melodia in templis sic adhibebitur, ne lasciviam magis quam devotionem exitet, neve, præter hymnos Divinos ac cantica spiritualia, quicquam resonet ac præsentet.

**C A P. XVI.** *Singulis Dominicis diebus, quæ ipsis peculiariora sunt, Officia dicenda.*

**M**os inolevit non admodum improbandus, ut diebus Dominicis, toto ferme anno, Officium Missæ vel de sacrosancta Trinitate, vel de Spiritu sancto, dicatur. Nobis satius videtur, ut, quæ prisca Ecclesiæ singulis Dominicis peculiariora fecit, observentur. Quod si illorum loco alia usurpanda erunt, videbitur, quod de Resurrectione Domini est, diei Dominico magis convenire; quod dies illa potissimum Resurrectioni dedicata sit. Neque ignoramus, non absque causa Concilio Triburiensi constitutum, ne, propter Missas peculiariores, Missa, quam de feria vocamus, prætermittatur.

**C A P. XVII.** *Confessio, Missæ præambulum, devote recitanda.*

**C**onfessio illa, Missæ præambulum, devote cum ministris, uno aut pluribus vicissim

Ephes. 5.

De Conf. dist. 3. Sabbato. 2. de feriis.

Ex Conc. Tribur. 2. de eccles. Miss.